

Sed tunc praecipue, cum fit Amoris opus.  
 Tunc te plus solito lascivia nostra iuvabat  
 Crebraque mobilitas aptaque verba ioco  
 Et quod, ubi amborum fuerat confusa voluptas,  
 50 Plurimus in lasso corpore languor erat.  
 Nunc tibi Sicelides veniunt nova praeda puellae:  
 Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.  
 At vos erronem tellure remittite vestra,  
 Nisiades matres Nisiadesque nurus,  
 55 Nec vos decipiant blandae mendacia linguae!  
 Quae dicit vobis, dixerat ante mihi.  
 Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos,  
 (Nam tua sum) vati consule, diva, tuae!  
 An gravis inceptum peragit fortuna tenorem  
 60 Et manet in cursu semper acerba suo?  
 Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis  
 Ante diem lacrimas ossa bibere meas;  
 Sparsit opes frater meretricis captus amore  
 Mixtaque cum turpi damna pudore tulit;  
 65 Factus inops agili peragit freta caerulea remo,  
 Quasque male amisit, nunc male quaerit opes;  
 Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit:  
 Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit;  
 Et tamquam desint, quae me sine fine fatigent,  
 70 Accumulat curas filia parva meas;  
 Ultima tu nostris accedis causa querelis:  
 Non agitur vento nostra carina suo!  
 Ecce, iacent collo sparsi sine lege capilli,  
 Nec premit articulos lucida gemma meos;  
 75 Veste tegor vili, nullumst in crinibus aurum,  
 Non Arabum noster dona capillus habet.  
 Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?  
 Ille mei cultus unicus auctor abes.  
 Molle meum levibusque cor est violabile telis,  
 80 Et semper causast, cur ego semper amem,  
 Sive ita nascenti legem dixere Sorores,  
 Nec data sunt vitae fila severa meae,